



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 9. In quibus personis, & ex quibus causis actus Fidei dari possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

Et ex neces-
sitate dicta
illuminatio-
nis,

quia facit concipere res Fidei, sicut oportet, ut voluntas ad illas supernaturaliter credendas intellectum mouere possit. Et sic etiam dixit Aug. illam gratiam esse doctrinam internam, per quam Deus ita mouet sensum, ut accomodat assensum, epist. 107. Et hanc necessitatem ostendit etiam alia difficultas supraposita, quia actus intellectus mere naturalis non potest per se sufficienter mouere voluntatem ad actum supernaturalem, adiuncta vero dicta illuminatione, potest dictam motionem efficere, vel ad illam concurrere, & ita etiam patet ratio huius necessitatis: quia, ut voluntas moueatur, praesertim honeste, ac prudenter, duo sunt necessaria scilicet sufficiens apprehensio obiecti, & iudicium quod expedit in illud credere: quia ergo voluntas credendi honesta, est etiam supernaturalis, requirit ex vna parte iudicium prudens de credibilitate obiecti: quia vero illud iudicium datur de obiecto supernaturali, per medium naturale, ideo necessaria est illuminatio diuina, quae eleuet intellectum ad concipiendum illud obiectum altiori, & supernaturali modo, ut voluntas ad illud etiam supernaturaliter credendum afficiatur, & ita possit intellectum mouere sicut oportet: & ita manet confirmata, & declarata nostra sententia, & responsum simul est ad difficultates, quae in contrarium proponebantur.

SECTIO NONA.

In quibus personis actus fidei esse possit.

Causa alia
actui fidei
alio remittuntur.

Explicauimus hactenus naturam, & proprietates actus fidei: nunc superest breuiter, ut de causis eius in praesenti sectione, & effectibus in sequenti dicamus. Et causae quidem fere omnes explicatae sunt, declarando naturam fidei: cum enim actus ipse credendi sit quaedam forma intellectus, non habet aliam causam formalem praeter obiectum suum, de quo supra multa dicta sunt. Materialis autem causa eius propria, est intellectus, in quo inest, quoad ipsam credulitatem, vel voluntas, quoad affectum credendi: causa autem finalis fidei dici potest, vel vita aeterna, vel iustificatio, vel purificatio cordis, quae in sectione sequenti breuiter attinguntur: nam finis, & effectus in idem coincidere solent. Causa autem efficiens fidei duplex distingui potest. Vna est Deus: alia ipse credens: de priori iam dictum est, Deum esse causam fidei non solum, ut est Auctor naturae, sed etiam ut est Auctor gratiae, ac proinde ipsum esse causam primariam, & principalem huius effectus, ut latius constat ex materia de Gratia lib. 3. c. 3. Ex parte vero credentis concurrunt intellectus, & voluntas, modo supra explicato, & ideo cum actu causis nihil superest dicendum. De personis autem, in quibus potest actus fidei inueniri, quia illae etiam sunt causae fidei, & efficiens, & substantia, quatenus Fides est actus immanens in ipso credente, aliquid superest dicendum.

Sola subiectiua tractanda.

Tam Angeli quam homines sunt capaces fidei.

2. Et primo supponimus, tam hominem, quam Angelum esse capaces fidei, omnis inferioribus creaturis, quae cum ratione non videntur, non possunt ad huiusmodi actus eleuari, & de hominibus quidem, res est clara: de Angelis vero, etiam est certa, ut lib. 5. cap. 5. docui, quia ordinantur ad eandem beatitudinem, quae illis etiam supernaturalis est, & ideo prius fuerunt viatores, quam beati. Fides autem est per quam omnes in via ambulamus, ut Paul. dixit. Item quia Angeli non cognoscunt supernaturalia per suum naturale lumen, ut constat ex 1. p. q. 57. tradidique in lib. 2. de Angel. c. 29. & 30. & ideo sunt capaces diuinæ reuelationis, non solum intuitiue, sed etiam abstractiue, & obseque: atque ita sunt etiam capaces Fidei, ut D. Tho. 2. 2. q. 5. docet. Solet autem hic specialiter dubitari de primo Angelo, quia non potuit non habere euidenciam testificantis, quae

Etiam primus Angelus capax est fidei.

conferatur Fidei repugnare: sed de hoc nobis sufficiunt supra dicta disput. 3. sect. 8. Vbi ostendimus euidenciam in testificante ortam ex folis signis naturalibus non excludere Fidem, quia non per se fundat illam, neque certitudinem eius, sed tantum concurret ex parte proponentis, & hoc tantum modo inueniri potuisse in primo Angelo.

3. Deinde aduertimus, huiusmodi personas considerari posse, vel in via: vel in termino. De priori statu, scilicet viae, procedit maxime quod diximus, & ita omnes viatores per se loquendo, sunt capaces fidei, imo per ipsam Fidem incipiunt aliquo modo ingredi viam salutis. Dixi autem per se loquendo, quia licet status viatoris actum Fidei postulet, & ideo quilibet viator de se sit capax illius, & Deus quantum in se est, paratus sit ad illum praestandum: nihilominus ex parte hominis, potest esse impedimentum, ratione cuius sit incapax huiusmodi actus. Triplex autem potest esse hoc impedimentum. Primum est, carentia usus rationis, ut est in amentibus, & in infantibus: nam licet Deus extraordinario, & miraculoso modo possit hunc actum infantibus concedere, ut de Beata Virgine, & de Ioanne Baptista credimus: id tamen non pertinet ad ordinariam legem gratiae: esset enim erroneum dicere, huiusmodi actum esse infantibus necessarium ad salutem, ut infra dicitur: vantum autem, vel etiam temerarium esset dicere de facto concedi aliquibus sine Ecclesiae, vel Patrum auctoritate. Aliud impedimentum potest esse ignorantia: nam, qui non audit res Fidei non potest, secundum ordinariam legem, habere actum eius, quia fides ex auditu. Et licet Deus per causas veluti vniuersales, sufficienter prouideret modum, quo verbum Fidei ad omnes possit peruenire, tamen in particulari, non semper ad omnes peruenit, neque Deus ex vi ordinariae prouidentiae tenetur semper huiusmodi impedimenta tollere, quantum ex speciali gratia saepe id faciat. Tertium impedimentum est haeresis: nam qui in vno articulo pertinaciter errat, nihil vera fide credere potest, propter connexionem, quam omnia credenda habent in formali ratione obiecti Fidei, ut supra declaratum est, & in sequentibus iterum attingetur.

Dicta Fidei capacitas maxime habetur in via.

Nisi obliet caritatis usus rationis.

Aut praedicationis.

Aut haeresis circa aliquam rem de fide.

Animae purgatorii adhuc ambulantes perficiuntur.

4. Addendum denique est circa hanc partem, sub viatoribus comprehendi etiam animas in purgatorio existentes: quod etiam attingi in to. de poenit. disp. 47. sect. 2. in fine, nam illae nondum ad vltimum terminum perueniunt, & ideo licet in morte inciperunt ad viam discedere, non dum tamen viam absoluerunt, & ideo adhuc per fidem ambulant, nam sunt iustae, & Deum ex charitate amant super omnia: ergo necesse est, ut illi etiam supernaturaliter cognoscant: non cognoscunt autem per speciem: ergo per fidem. Denique nihil in eis est, quod cum actu fidei repugnet: nam reuelatio obscura quam in hac vita habuerunt, in eis permanet, solumque videri potest facta euidencior, per aliquarum rerum experimentum: illa autem experientia non transcendit euidenciam in testificante, & ideo non excludit actum fidei, ut supra visum est.

5. Superest dicendum de statu termini: qui est duplex, scilicet beatitudinis, & damnationis. Et de primo quidem fuit opinio Alen. in 3. p. q. 64. memb. 7. Dur. in 2. d. 32. q. 3. & 4. & Argen. ibi art. 3. quibus fauere videtur Magist. in 3. d. 23. §. Aliud enim, dicens non repugnare fidem statui beatitudinis, & licet de habitu praecipue loqui videantur, tamen etiam extendunt sermonem ad actum. Fundamentum est, quia visio & fides non repugnant, nisi tanquam actus perfectus, & imperfectus, qui possunt simul esse in Beatis: nam scientia abstracta comparata ad intuitiuam imperfecta est, & tamen utramque simul habent Beati de Deo: similiter se habent scientia naturalis, & supernaturalis: & nihilominus manet scientia naturalis in Beatis. Item etiam prophetia

Disputatur quod sit de non viatoribus beatis. opinio affirmans.

Eius fundamentum.

tia est imperfecta respectu visionis, & nihilominus potest simul esse cum visione, sicut fuit in Christo, teste D. Thom. 3. p. quæst. 7. artic. 8. quod ibid. in disp. 21. sect. 1. expolimus. Ex quo respondet Durand. ad Paulum dicentem fidem non manere, intelligi non de substantia fidei, sed de imperfectione: nam etiam dixit prophetiam non manere. Denique Iren. lib. 2. contra hæreses c. 47. & lib. 4. cap. 25. & Tertull. lib. de patientia. c. 13. indicant fidem; spem & charitatem post hanc vitam manere, & expressius quoad actum Photius Constantinopol. in illud 1. Cor. 23. Nunc autem manent fides, spes, &c.

6. Alia verò sententia communiter recepta est, in Beatis non posse actum fidei infusam inueniri. Ita D. Thomas 2. 2. q. 5. ar. 2. & 1. 2. q. 67. ar. 3. & 5. Quæ illis locis sequuntur omnes moderni, & reliqui scholastici in 3. d. 23. & 32. Estq; sententia Aug. serm. 13. de temp. Chryf. & expositio. communiter in sequenti loca Pauli, cui sententia hæc videtur consentanea esse: nam prima ad Cor. 13. inquit, Cum venerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est, ubi per cognitionem ex parte, fidem intelligit, vt omnes exponunt, & ex ipso contextu facile colligitur: vnde 2. ad Corinth. 5. dicit fidem & visionem constituturæ hominem in diuersis statibus viæ, & terminat, & addit, in cap. illo 13. Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Neque habet locum responsio Durandi: nam imperfectio fidei est de substantia eius, vt ex dictis de obiecto ipsius constat, & ideo si euacuatur fides quoad imperfectionem eius, etiam euacuatur quoad substantiam. Ratio verò huius sententiæ est, quia vel comparatur intellectus Beati ad ea quæ videt, vel ad ea, quæ extra verbum supernaturaliter cognoscit. Circa priora neque eget fide, neque habere illam potest, vel enim omnino repugnat, vel saltem talis fides esset omnino superflua, cum neque certitudinem, neque claritatem augere possit: extra Verbum autem quædam cognoscit Beatus quali permanenti, seu habitualiter: & de illis habet scientiam infusam, non ergo fidem. Alia verò cognoscit per actualem reuelationem, quasi transeuntem, & illa etiam reuelatio non generat fidem, quia non est obfcura, sed clara, seu de obiecto reuelato, siue de ipso Deo reuelante, qui euidenter patet Beato, & ideo etiam illa cognitio ad fidem non pertinet, iuxta superius dicta de obiecto formali fidei.

7. In hoc puncto breuiter dicendum cenfeo, aliud esse loqui de potentia Dei absoluta: aliud de facto, seu de lege ordinaria, & quali connaturali visioni Dei, & statui beatifico. Priori modo non videtur mihi implicare contradictionem, quod videntes Deum habeant aliquem actum fidei. Est autem hoc clarius, si talis actus versetur circa res non visas per visionem beatam: quoniam nulla est repugnantia, illas reuelari obfcurè, etiam si Deus ipse clarè videatur, sicut potest vnus Angelus credere aliquid alteri Angelo sibi illud dicenti, quamvis dicentem videat, cum rem dictam non videat, vt agentes de locutione Angelorum latè ostendimus. Quod si sermo sit de eisdem rebus visis, difficius est ad intelligendum, quod actus fidei sit simul cum visione: nihilominus in rigore non video implicationem contradictionis, quia illa concomitantia non est contra substantiam fidei, neq; contra formale illius obiectum, vt ex his, quæ de illo supra diximus disp. 3. sect. 9. à nu. 7. constare potest, & hoc etiam suadent aliquo modo argumenta Durandi. At verò de facto longè verius, & ferè certè est, Beatos non exercere actus fidei: hoc enim est multo magis consentaneum testimonio Pauli, & dictis Sanctorum. Est etiam vel de consensu, & conuultate statui beatifico, vt probant rationes factæ in secunda opinione, & ideo loquendo secundum legem ordinariam, simpliciter

negandum est posse in Beatis esse actus fidei. Addo verò hoc intelligi de proprio actu intellectus, qui est credere, & consequenter etiam de actu efficaci voluntatis, qui imperet talem actum intellectus. Si autè loquamur de simplici actu piæ affectionis voluntatis quo se paratam exhibeat, & ostendat ad capiti adum intellectus in obsequium fidei, si opus esset: talis actus esse potest in Beato, qui simpliciter est actus virtutis, & nullam imperfectionem supponit beatitudini repugnantem. Vnde iste conditionales locutiones, Si Deus mihi iuberet credere, id facerem, & similes, esse quidem possunt in Beatis, non tamen declarant aliquem actum fidei, quem de facto habeant, sed solum illum pium affectum, & animi præparationem, quam posse haberi dixi.

8. Vltimo dicendum superest de altero termino, qui est status damnationis, de quo etiam Durand. in 3. d. 23. q. 9. dicit fidem in damnatis manere, & videtur fuisse sententia Alexand. Alenf. 3. p. q. 64. ar. 7. Et in eam inclinat Salmeron disp. 3. in epist. Iacobi, & videtur fauere D. Tho. 2. 2. q. 18. ar. 3. ad 2. ubi constituit differentiam inter fidem, & spem informes, quod spes non manet in damnatis, fides autem manet, & omnes loquuntur de actu, nam fundantur in verbis Iacobi c. 2. Demones credunt, & contremiscunt, ubi planè loquitur de actu, & videtur necessarii, vt loquatur de actu supernaturali fidei infusæ, alias non rectè vteretur illo exemplo ad probandum solam fidem etiam infusam, non sufficere ad salutem, quod ibi intendit. Ratione etiam confirmari potest, quia damnati (licet non omnes) habuerunt in via fidem, & reuelationem eius, cuius reuelationis possunt in statu damnationis recordari: quod ergo impedit, quominus etiam in illo statu habere possint assensum ex dicta reuelatione.

9. Nihilominus dicendum est in illo statu non esse, neq; esse posse verum actum fidei infusæ, seu supernaturalis. Intelligitur assertio de facto, & de potentia ordinaria: nam de absoluta clarum est non implicare contradictionem, neq; de hoc aliquis quæstionem mouit. Sic ergo assertio communis est D. Tho. q. 5. ar. 2. ubi Caiet. & alij, & scholasticorum in 3. d. 25. ubi Bonau. ar. 2. q. 3. Gabr. q. 2. art. 3. sumitur ex Aug. lib. 9. de Ciuit. Dei c. 21. dicente, demones cognoscere Christum, non lumine fidei, sed effluvia signorum. Item ex Dionys. c. 4. de diuinis nominibus dicente, Carere damnatos omnibus diuinis donis. Vnde sumitur prima ratio sufficiens pro hac sententia, quia dona, & auxilia gratiæ non communicantur damnatis, verus autem fidei actus haberi nequit sine auxilio gratiæ, vt dictum est: ergo esse non potest in damnatis: maior constat, quia vt Christus dixit; Sanctum non datur canibus, neq; margarite proiciuntur ante porcos. Esset enim superfluum, & inutile tale auxilium dare damnatis, tum quia fides est substantia rerum sperandarum: illi autem sunt in statu desperationis: tum etiam quia fides datur vt fundamentum iustitiæ illi autem sunt iustitiæ incapaces. Alia etiam ratio optima est, quia ad credendum fide infusæ requiritur pia affectio, & honesta voluntas, damnati autem neq; piæ affectionem habent, neq; honestam voluntatem habere possunt, vt constat. Ergo neq; veram fidem: Vnde non plus credunt, neq; maiori certitudine, quàm ex vi signorum, seu affectuum, quos experiuntur, cogantur.

10. Ad Iacobum respondent aliqui verbum illud, Credunt, sumi posse in vi præteriti, id est, crediderunt, & ita argumentum Iacobi erit, demones etiam credidisse, vtique fide infusam in via, & nihilominus damnatos fuisse, quia fidem sine operibus habuerunt. Sed non placet expositio, tum quia facit aliquam violentiam verbo, sine sufficienti fundamento: tum etiam quia statim addit Iacobus, & contremiscunt, quod sine dubio de præfenti intelligit.

Pia affectio ad credendum, est in beatis.

Disputatur quæstio de non vationibus damnatis. r opinio affirmatiua.

Et videtur fauere D. Thom.

Et locus Iacobi Et Ratio.

2. opinio seu assertio negatiua de lege ordinaria. Probatur auctoritate.

Et ratione.

Altera ratio.

Ad motiua contraria in nu. 8.

Expositio ad locum Iacobi, quæ non placet.

Paulus 1 Durand. exponitur. Confirmatur opinio.

2. opinio communis. a. probatur auctoritate.

Expositio Durandi n. precedenti addita excluditur.

1. probatur ratione.

Spontaneum iudicium.

Probatur etiam tam de ratione fidei, quam de ratione visionis.

Adm de eius rub.

Probatur 2. ius.

Vera respon-
sio.

ligit. Dico ergo cum Augustino, Diuo Thoma, & communi sententia, daemones credere fide coacta, non voluntaria: ac subinde naturali, non infusa. Ad obiectionem autem respondeo, argumentum Iacobi fuisse sufficiens, quia haeretici, qui tunc iam praedicabant, fidem sine operibus sufficere ad salutem, non faciebant vim in modo credendi, sed in re credita, & in firmo assensu illius vnde cumque conciperetur. Ad Diuum Thomam respondeo, non esse tibi contrarium: differentia ergo, quam ponit inter fidem, & spem, ita intelligenda est, quod Fides aliqua de rebus reuelatis, manere potest in damnatis, quia Fides solum tendit in veritatem, quae potest per naturalia signa in illis rebus aliquo modo ostendi, spes autem nulla, neque infusa, neque naturalis manet in damnatis circa beatitudinem, quia spes fertur in bonum possibile, Beatitudo autem nullo modo supernaturali, vel naturali ostenditur possibilis in damnatis. Denique ad rationem patet responsio ex dictis: nam reuelatio praeterita non sufficit ad vsum Fidei in illo statu, propter prauam dispositionem voluntatis. Videatur circa hoc punctum de fide daemorum liber. 8. de Angelis, capit. 6.

Ad locum
D. Tho.

SECTIO X.

Quos effectus habeat actus fidei.

Resolutio
D. Thomae.

Questionem hanc tractat Diuus Thomas in 2. 2. q. 9. Et in summa, tribuit fidei duos effectus. Vnus est timor, ex illo Iacobi. 2. *Daemones credunt, & contremiscunt*: nam licet fides daemorum non sit infusa, ut dixi, tamen ex illa sumitur argumentum à simili, vel fortiori ratione: Alter effectus est purificatio cordis, ex illo Actor. 15. *fide purificans corda eorum*.

2. difficultas
contra posi-
tam resolu-
tionem.

2. Non caret tamen haec resolutio aliqua difficultate. Primo quia actus fidei est immanens, & ex hac parte, est actus vltimus, nullum effectum post se relinquens, iuxta doctrinam Philosophi. 9. Metaphysicorum cap. 9. text. 16. praefertim, quia actus fidei est quaedam cognitio speculatiua, iuxta illud ad Colossens. 3. *Nos autem reuelata facie gloriam Domini speculantes*, & ad Hebr. 11. *fide credimus aptata esse secula verbo Dei*, ac denique quia per se est cognitio Dei, quae est maxime speculatiua, cognitio autem speculatiua non est operatiua: ergo neque cognitio fidei erit operatiua, ac subinde nullum poterit habere effectum.

Secunda dif-
ficultas.

Secundo in vtroque effectui à Diuo Thoma posita occurrunt difficultates: nam in primo de timore dicitur Ecclesiastici secundo. *Qui timetis Deum credite illi*: ergo timor est causa credendi. Vnde etiam Augustinus de catechizandis rudibus cap. 5. dixit, multos venire ad fidem, timore Dei permotos: ergo non potest timor esse effectus Fidei. In altero vero effectui occurrunt statim difficultates de iustificatione per fidem, non enim purificat cor nisi vera iustitia: ergo si fides purificat cor, Fides iustificat, qui est error haereticorum huius temporis. Tertio, possumus obijcere, quia si aliquo modo sunt effectus tribuendi Fidei, non erunt tantum tribuendi illi duo, sed etiam plures alij: nam imprimis Paulus ait Fidem, *esse substantiam rerum sperandarum*: ergo etiam spes est effectus Fidei. Item Caeselinus Papa epistola prima ad Episcopos Gal. cap. 12. dicit omnia honesta studia, & omnium virtutum pias actiones ex Fide proficisci, & Augustinus sermone 10. de Verbis Apostoli, inter effectus Fidei ponit omnes dispositiones ad gratiam. Et epistola 105. & 107. omnem meritum siue perfectum, siue imperfectum esse Fidei effectum: & ita etiam miracula ponuntur effectus Fidei, quatenus per illam impetrantur: cur ergo duo tantum effectus illi tribuuntur?

Tertia.

3. Non est tamen difficile his satisfacere, rem totam breuiter declarando. Aduerto igitur duobus

modis posse intelligi actum Fidei esse causam aliorum effectuum, scilicet vel physice, vel moraliter. Priori modo non solent actus immanentes habere physicos effectus, nisi vel quatenus producant habitus: vel quatenus vnus actus potest esse causa alterius, sicut assensus praemissarum est causa assensus conclusionis, & intentio finis est causa electionis mercedis. Neutro autem ex his modis possumus aliquem effectum physicum tribuere actui Fidei per se ac proprie loquendo. Nam imprimis non producit habitum proprie, & effectiue, quia in materia de Gratia lib. 8. capit. 4. ostensum est, habitus supernaturales, & infusos non fieri per suos actus: habitus autem fidei supernaturalis est, & per se infusus, ut sequenti disputatione dicemus. Potest autem actus fidei disponere ad habitum suum, & ita vocari causa eius, illa tamen causalitas magis moralis est, quam physica, ut in materia etiam de Gratia citato libro. cap. 5. declarauimus. Deinde omnes actus fidei immediate, & aequaliter fundantur in reuelatione diuina, & ideo vnus non est proprie causa alterius, quia per discursum non fiunt, sed omnes sunt immediate ab habitu, vel auxilio, & ideo in Fide non datur aliquis actus, qui sit proprius effectus physicus alterius actus fidei. Dices, Interdum potest ex assensibus fidei elici assensus alicuius conclusionis: ergo ille erit proprius effectus Fidei. Respondeo, si priores assensus solum concurrant ad applicandum sufficienter obiectum fidei respectu alterius actus, tunc illud non esse effectum per se, & physicum, quia ut supra dixi, sect. 4. nunquam assensus Fidei fundatur in assensibus praemissarum, in vi illationis, sed tantum in prima veritate reuelante: Si autem talis assensus conclusionis per se fundetur in discursu, iam non est effectus fidei solius, sed cooperante etiam lumine naturali, imo etiam tunc Fides non concurrat secundum propriam rationem fidei, sed secundum quandam generalem rationem assensus certi, propter quod potest illo modo, etiam ad falsum concurrere: ut supra sect. 5. nu. 4. dixi, atque ita concluditur actum fidei nullum proprium, & physicum effectum habere: loquimur autem in genere efficientis, nam formaliter, clarum est physice constituere credentem.

Afferit r.
Actus fidei
nullos habet
effectus phy-
sicos pro-
prie loquen-
do.Probat in
primis habi-
tum non ef-
ficere tale
effectum.Necesse vni
actum fidei
respectu al-
terius.Excluditur
instantia.

4. Oportet tamen distinguere in fide actum intellectus, ab actu voluntatis, quos supra distinximus: nam quae diximus maxime procedunt de actu intellectus, ut constat. Possunt tamen cum proportionem applicari ad actum voluntatis, etenim ille etiam supernaturalis est, & ideo habitus etiam per se non producit, & non ordinatur ad alios actus voluntatis, vnde etiam ex illa parte, non habet proprium physicum effectum. Potest vero vterius comparari hic actus voluntatis, ad actum intellectus, & sic reuera est causa eius: credimus enim, quia volumus, & potest dici causa physica, quia voluntas efficaciter applicat intellectum ad credendum, sicut appetitus potest vere dici causa physica motus localis membrorum: Vbi occurreret itatim questio, de hac causalitate, qualis sit, an sit per proprium influxum vel potius sit per modum causae per accidens, & applicantis per naturalem sympathiam potentiarum, in eadem anima radicatarum. Sed haec questio physica est (à quibus questionibus abstinere soleo). Videri potest in tractatu de Animalibus. 5. cap. 6. Idem vero iudicium in hac motione voluntatis ad credendum, ferendum est, quod in alijs motionibus potentiarum per voluntatem: nam est eadem ratio, & probabilius existimo esse tantum per naturalem subordinationem, & sympathiam potentiarum.

Quoniam
procedat af-
fectio de pri-
oribus.

5. Secundo dicendum est, actum fidei morali modo, habere posse aliquos effectus, qui varij sunt iuxta diuersos modos huius causalitatis. Vnus modus est per modum dispositionis, vel proximae, vel re-

Afferit r.
Actus fidei
varijs modi
foritur mo-
rales effe-
ctus.